



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De differentia inter sapientiam & prudentiam. XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

priae voluntatis. Rarius ergo statue tibi consilium tuum, & firmiter non ponatur in animo, quod est incertum, an fiat vel fieri expediat; quia in rebus cunctis, finis inspiciendus est. Et quae ad bonum finem dirigunt, laudem habent, non quae in facie apparent: nam ignota sunt plerumque talia, quamuis probabilia foris videantur.

§. 28. De praua consideratione.

**I**dcirco sapientes & eruditi viri, res quae sibi intuentur à longè, & longanimitè expectant: rimantes tacitè, quis sit finis intenti operis; ne festinantia rem confundant, & praecipitio corruant. Prouidentia namque regitur status sapientis; & actio eius vniuersa (si plena sit oculis) erit probatissima & stabilis. Ipsius est rerum causas, puta initium & finem debitum discernere; & quae sint agenda, quae etiam vitanda, semper prauidere, ne inconfuse fiant. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei, si utilis ei esse possit & expediens: aliter illam desiderare non debet, quia damnabilem rem exoraret.

*Iacobi 1.*

§. 29. De differentia inter sapientiam & prudentiam.

**S**apientia tamen caelestium rerum magis videtur esse, prudentia verò seu prouidentia ad temporalia negotia congruentius spectat. Quia caelestia & aeterna sapere potius iubemur, temporalia autem omnia in transitu habere docemur. Vnde licet conceditur vsus necessarius bonis & sanctis viris pro ponendo viatico. Sed non in omnibus cernitur tantus diuinæ dilectionis radius, ut quod dignitate & elegantia mentis proponunt, hoc exerceant auditius. Norunt sancti, quod hæc ima presentata supernis sint abiectissima, nec precio laudis alicuius ducenda. Itaque quoddammodo assimilantur caducis, qui caduca petunt; & priuantur gloria caelestium, qui satiantur temporalium. Quae omnia prudens dispensator debet animaduertere; & ne terrestrium rerum distributione dispergatur nimium, bonis sempiternis suum renouare cordis palatum studeat. Tantoque libentius (dum illi vacat) immoretur superis, quo magis constat, quod gravis est & periculosa omnis cura temporalis, quae diuinis non releuatur sustentamentis.

§. 30. Quod necessaria est prouidentia, habenti curas temporales.

**E**get quippe maiori prouidentiae luce, qui inter temporales curas, tanquam inter vitæ tenebras versatur; & illi bonum est, si tantummodo rebus mutuatus, non alligatus corde externa ministret. Laudabile satis, si in negotijs sancto non desit otio; si curis ad tempus pro fraterna causa intentus, nihilominus inueniatur meditatione aeternorum & contemplatione suspensus. Qui enim